
CO

D

In

à Pe
mi



FEli
P
C
Arabu
felicio
Baron

A

Præd
lemn

exqu
nos:
suo,
ne i

giu
rub
cult
Ara

rud
qu
fur
pti

COGNATUS PURPURATUS
Illustris genere, sangvine illustrior
DIVUS PELAGIUS
Pro ERMOIGIO suo Avunculo Cruorem CHRISTO litans Inter ferias Patientis, Hominum Cognati In Carne DEI.
Spectatori in lugubrem Scenam Propositus

à Perillustri Magnifica Rhetorica Juventute Academiæ & Universitatis Vilnensis Societatis JESU Anno Domini 1712. Die 17. Martij.

EPITOME HISTORICA.

FElix Arabia, à Martyrum purpurisso enituit felicior: cùm enim Ermoigius illustris Prosapiæ, caperetur in Gallecia ab Arabibus, ut se Vinculis liberaret, Pelagium Consobrinum suum minorennis ætatis, dedit obsidem: qui nec Habdarraghmani Regis Arabum, nec Epheborum lenocinijs à Christo retractus, sangvinem fudit. Æmulemini felicioris Arabiæ (æternitatis) Candidati, fortunatiori à murice PURPURATUM. *Baron: Anno Domini 925.*

PROLOGUS.

ARabia Felix omni alia fæcunditate prædives indolet suæ sorti, quòd Tyrio non rubeat murice. Genius Palagij Tyrios offert flores, & Arabico implantat Solo: quibus oblectatus Genius Habdarraghmani, ominatur, se creaturum novos PURPURATOS.

ACTUS PRIMUS.

Scena una Ermoigius cum Fidelio comite suo, animans Pelagium ad æmulanda Prædecessorum suorum rectefacta, monstrat varia Aboriginum ectypa, in quibus advertens lemma: *Pelagium tinget pelagium*; ominatur ad purpuras evehendum Pelagium.

Scena 2da Pelagius de favente sibi omine hilaris, viam ad purpuratos fasces dum exquirit ab Ermoigio, ferali classico indicitur Martis Arabici prælium contra Christianos: quo perterritus Ermoigius, in fugam agitur. Pelagius verò stipatus Iterno comite suo, incidit in mare rubrum alluens Arabiam; ubi lectô illô sap: 19. *In mari rubro via sine impedimento*: infert hanc viam forsan esse ad purpuratos fasces.

Scena 3tia Iternus putans Providentiam Divinam velle salvare Ermoigium & Pelagium ab Arabum ferocia per viam marinam, revocat Ermoigium è suis latebris ad mare rubrum. Verùm hic territus à monstris marinis, dum meditatur aliò fugam, Vafrius occultus Christianorum explorator, svadet iter in Galleciam, reticens Habdarraghmanum Arabum Regem, illuc copias suas direxisse.

Scena 4ta Ermoigius cum Fidelio, tendens in Galleciam, obvia sibi idola diruit; inter rudera apparet purpurea chlamys. Vafrius attonitus casu Deorum, & conculcatâ purpurâ quondam Dijs oblatâ ab Habdarraghmano, ocyùs informat Habdarraghmanum, qui in furias actus, mittit Melernum & Orestium cum Vafrio & armata militum manu ad captivandum Ermoigium.

CHO-

CHORUS.

Arabia Deserta agitur in lamenta, quòd in ejus ora soli tribuli & sentes nascantur; Religio alteram Arabiam desertam Christum spinis confixum, quò *relictô fugerunt omnes Mat. 25.* monstrat Genio Pelagij; monetq; ne deserat.

ACTUS SECUNDUS.

Scena 1ma Melernus & Orestius incidunt in fanum, ibiq; de reperta purpurea chlamyde litigant. Ermbigius putans Pelagium & Iternum de purpura litigare prorumpit è latebris, qui agnitus à Vafrio, ab Arabibus captivatus sistitur Habdarraghmano.

Scena 2da Habdarraghman actus in furias, addicit vinculis Ermoigium: cui dolenti super sorte sua, offertur à Genio pileus, quo secundùm Livium, pressi vinculis donabantur in signum libertatis: hunc Ermoigius advertens esse purpureum inhorret, formans omen sangvinis fundendi. Fidelius revocans illud: *Pelagium tinget pelagium*; infert, per oblatum munus significari purpuras Pelagij, & libertatem Ermoigij obtinendam. Interim Fidelius motus infortuniô Ermoigij, informat Pelagium.

Scena 3tia Pelagius indolens Ermoigio, propriam demiratur sortem, quòd se quærant purpuræ; sed incognito calle. Fidelius legens illud: *In mari rubro via sine impedimento*: & combinans omen suum ex oblato munere formatum, asserit, unicum esse Pelagio impedimentum ad purpuras, quòd Ermoigius suus fautor detineatur vinculis, quibus liberatô Ermoigio, spondet evehendum ad purpuras Pelagium.

Scena 4ta Pelagius erectus spe honorum, & de modo liberandi Ermoigium deliberans, incidit in purpuream chlamydem sub eversis idolis repertam. Unde magis confirmatur in spe purpuratæ præeminentiæ. Sed dum purpuram induit, acuto dolore excruciatus, purpuras detestatur. Fidelius informat, hanc purpuram fuisse litatam Dijs ab Habdarraghmano, ideoq; Pelagio Christi cultori infensam. Iternus verò per Purpuram cruciantem, asserit portendi purpuratos fasces Pelagio; & cruciatus seu vincula Ermoigij significari. His motus Pelagius invisit Ermoigium.

CHORUS.

Arabia Petræa, antris & spelæis petrosis ferox, animat Genium Habdarraghmani ad ferociam. Religio consolidans Genium Pelagij, propinat liquorem de petra expressum, de quo: 1. Corinth: 10. *bibebant de petra, Petra autem erat Christus.*

ACTUS TERTIUS.

Scena 1ma Fidelius & Iternus inito consilio, concludunt liberum fore vinculis Ermoigium, si Pelagius in obsidem cedat, facilius liberandus & ipse, utpote teneritudine animi flexurus Regis ferociam: in præmium facti promittunt purpuras Pelagio.

Scena 2da Pelagius non satis annuens consilio, victus tamen reverentiâ Avunculi, à Fidelio ablegato Ermoigij offertur Habdarraghmano, qui Pelagij egregia indole captus, Ermoigium liberat vinculis; Pelagio purpuratos offert fasces; sed dum advertit Christianum esse, spe solùm obtinendæ purpuræ (si Christum ejuret) lactandum Pelagium committit Vafrio & Ephebis.

Scena 3tia Pelagius certum illud habens *Pelagium tinget pelagium* (id est Purpura) sed quo fato? ignorans, animoso corde temnit & purpuras, Deorum cultum exposcentes, ne Christum deserat. Ideoq; in vincula conjicitur; verùm & in his constans in Christi confessione, blanditias quoq; Habdarraghmani deridet.

Scena 4ta Habdarraghman in furias actus, Pelagium in frusta discindi, discissum comburi committit Melerno & Orestio. Latâ sententiâ, Pelagius gestit se tandem reperisse in proprij sangvinis Erythræo viam sine impedimento ad beatas Martyrum purpuras & felicem æternitatem; adeoq; Purpuram cruciantem bene ominosam fuisse. suo verò Iterno, vale reddens committit, ut nuntiet Ermoigio, illud jam esse impletum: *Pelagium tinget pelagium*, id est sangvis.

Scena 5ta Ermoigius informatus ab Iterno, fugatis Arabibus propter pluviam igneam decidentem accensam à succensis cruentis artubus Pelagij, accenditur amore Christi, suam deflet sortem, gratulatur prosapiæ suæ Cognatum Purpuratum.

EPILOGUS.

Orator ad Christum, Cognatum hominum, à sangvine pro hominibus effuso Purpuratum, facit apodosim.

Ad
Majorem In carne DEI Patientis Gloriam.